



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XXXVIII. Vtrum motium formale Charitatis sit summum bonum quatenus
bonum sibi ipsi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

vice versa subsequi Charitas, & amicitia ad spem, tanquam medium opportunum ad lucrum intensum per ipsam.

Resp. Communis, & indubitata sententia Theologorum est Spem simul cum fide disponere ad Charitatem; idque constat ex dictis quæst. 12. & confirmatur, quia nemo init amicitiam cum illiberali, insuavi, nullumque potente afferre gaudium, ac delectationem amanti; neque hæc sunt prædicata allicientia ad amicitiam, sed efficacissime repellentia ab illa. Rursus amicitia est essentialiter communicatiua bonorum mutuo, ut dicitur infra ex Philosopho; ac proinde est summè communicatiua, quæ est summa amicitia, uti est Charitas. Ergo repugnat, ut quis ineat amicitiam cum aliquo, quin præcognoscat dari utrinque aptitudinem ad mutuam eiusmodi communicationem. Nec enim iniri amicitia potest, quin præcognoscatur iniri eam posse; idest dari illam aptitudinem in utroque amico, seu apto, ut sit amicus. Habita autem præcognitione de aliquo, ut liberali, suavi, ac potente inducere in animum præcognoscentis tranquillitatem, & gaudium, cumque esse communicatiuum suorum bonorum, ex natura rei exurgit prius affectus spei, quam affectus Charitatis. Quia est facilius, quatenus prima cuiusque inclinatio est in seipsum. Atque hic affectus ex sua itidem natura inclinatur ad ineundam amicitiam, cum per ipsam obtineatur permanentem, ac perfectè, præintenta communicatio bonorum: Imò ipsa amicitia sit præcipuum bonum, quod per spem intendi potest, inter cætera conferibilia ab eo in quo spes reponitur. Accedit in sacris literis inuitari omnes ad Charitatem, & dilectionem Dei; Quia inquirentibus ipsum bonus, ac remunerator est; & quia reficit, idest, cumulat donis Gratia venientes ad se, hoc est, ipsum diligentes: Ergo Deus intendit excitare spem in hominibus, ut per eam introducantur ad Charitatem. Ergo spes est dispositio ex sua natura ad Charitatem.

Ad 1. Spes est quidem amor concupiscentiæ respectu bonorum, quæ sperat distincta ab eo, ex quo ea sperat; non tamen est amor concupiscentiæ respectu Dei; sed est initium amoris amicitia, atque amicitia quædam inchoata; & imperfecta, sicut dicit Philosophus de Bencvolentia 8. Ethic. cap. 3. & 4. Ratio est, quia quæ amantur amore concupiscentiæ propriè tali, possidentur per amorem ipsi amanti. Amans enim concupiscendo seipsum constituit finem cæterorum quæ amat, quod minimè facit spes Theologica respectu Dei, quia fertur in Deum amando ipsum super omnia; ac proinde, & supra ipsum amantem, ut liquet ex tota quæst. 4. & ex quæst. 33. ad 4. Ergo Spes Theologica non repugnat Charitati; sed maxime congruit, & ad eam disponit.

Ad 2. Perfecta dilectio Patriæ est impossibilis cum spe; non ex eo, quod spes formaliter ratione sui apponat impedimentum perfectioni amicitia; sed tantum præsuppositiue, quatenus spes fertur in bona absentia, quorum absentia repugnat vltima, & summa perfectio amicitia cum Deo. Deus enim cum summè, & perfectè amat aliquem, eo ipso facit illi esse præsentia omnia sua bona; atque ita indirectè impedit spem amati erga se; impedit nimirum ne speret aliquid, data omnium possessione, & substituit spei plenitudinem gaudij de bono proprio gaudientis. Quod gaudium, cum non minùs adhæret bono proprio gaudientis, quam spes, sed multò magis, repugnaret spes ex sua ratione formali, & non tantum præsuppositiue. Igitur spes nihil repugnat; sed magis suffragatur toti perfectioni amicitia, quæ possibilibus est pro eo statu rerum, quem eadem spes essentialiter præsupponit, solumque est impossibilis

cum ea perfectione amicitia, quæ tollit eundem illum statum rerum.

Ad 3. Distinguendum est inter homines duplex genus bonorum, quæ vnu quisque ex aliis sperare potest. Alia namque sunt bona, quæ non possunt haberi ab eo, qui illa sperat, absque iactura eius, ex quo ea sperat; qualia sunt pecuniæ, & quæ pecuniis æstimantur; & spes istorum bonorum non potest introducere perfectam amicitiam; quia affectus nocivus amico nocet etiam amicitia. Alia sunt bona, quæ non pereunt habenti ex eo, quod communicentur aliis, sed meliùs, ac delectabiliùs habentur, cum aliis communicantur; qualia bona sunt instrumentum se iniicem, communicantium mutuo secreta cordis, & iuvantium se mutuo in studio virtutis, augmento honoris, & similibus; atque spes istiusmodi bonorum, uti nihil nocet amico, ita nihil aduersatur amicitia, sed ad eam potius inuitat. Spes autem collocata in Deo est huius secundi generis; quia Deus impertitur nobis omnia bona nostra, absque vlla iactura propria, & cum tanta gloriæ suæ accessione, quanta est sua erga nos beneficentia. Ergo spes diuina diuinæ Charitati, eiusque perfectioni repugnare nunquam potest; licet repugnet amicitia humanæ aliqua spes hominis fundata in homine.



Incipit quarta pars de Charitate.

QVÆSTIO XXXVIII.

Vtrum motium formale Charitatis, sit summum bonum quatenus bonum sibi ipsi?

IDETVR non esse. 1. Quia Charitas fertur in Deum, ut vltimum finem nostrum, & quatenus communicabilem per visionem, & fruitionem circa ipsum, seu in quantum est beatitudinis obiectum, ut docet D. Thomas in præsentia quæst. 2. art. 1. 3. & 4. atque alij communiter ibidem. Deus autem, ut vltimus finis noster, & ut obiectum beatificum est summum bonum nostrum. Ergo Deus non est motium Charitatis, quatenus est bonus, sibi, sed quatenus est bonus nobis.

2. Charitas amat Deum, propterea ipse vult amari à nobis; nec enim potest esse affectus Charitatis erga Deum, qui non est conformis eius voluntati. Deus autem vult, ut ipsum amemus, ut fontem bonorum omnium, & principium totius nostræ felicitatis, ut liquet ex motiuo, quod in quæstione præcedenti sub fin. respons. ad quæst. indicatum est, ab ipso proponi, cum nos inuitat ad dilectionem sui. Frustra enim illud proponeret, si non intenderet, ut ipsum diligeremus propter motiuum ab eo propositum. Ergo Deus, ut summum bonum nostrum, atque ut principium, & fons omnium nostrorum bonorum, est motiuum Charitatis.

3. Amor Charitatis continetur sub genere Amoris; ut sic latissimè sumpti. Est autem de ratione amoris, ut sic, ut feratur in bonum proprium amantis; seu quod sit bonum respectu amantis. Nemo enim afficitur ad bonum non suum, seu quod non habet rationem boni respectu ipsius. Quia bonum est appetibile, vnicuique verò proprium, ut docet Philosophus. Impossibile igitur est, ut charitas feratur in Deum, præcisè quatenus sibi ipsi bonus est; & quin respiciat eundem, ut eadem bonitate bonum amanti.

4. Ut Deus mutuo scedere res omnes colligaret; ac praesertim, ut substantias rationales inter se, & se cum iungeret amore mutuo, res omnes fecit, ac praesertim substantias rationales indigas mutui iuaminis, cooperationis, & officiorum: Fecit verò indigas sui in summo gradu; quia ipse in summo gradu diligere debebat. Ergo ex institutione naturae, & iuxta intentionem diuinam fundamentum dilectionis mutuae, & amicitiae est indigentia mutua, & eo maior, quo dilectionem, & amicitiam oportet esse maiorem. Hoc autem subsistere non posset, si motiuum Charitatis, & amicitiae non esset vis benefica amati erga amantem. Ergo Charitas habet pro motiuo Deum quatenus beneficium respectu nostri, & non praecise quatenus est summum bonum sibi ipsi.

Art. 1. Resp. Communis, & certa Theologorum omnium sententia est, Obiectum formale Charitatis esse summum bonum, quatenus est bonum sibi ipsi. Notandum est bonitatem, qua Deus est bonus sibi esse indistinctam in se à bonitate, qua est bonus nobis. Eadem namque bonitate sua infinita, est bonum beatificum respectu sui, & nostri. Differentia itaque est solum rationis; Vnde fit Spes, & Charitatem circa idem realiter versari, solumque differre ratione ex parte motiui. Differentia autem inter istos duos amores in hoc consistit, quod feruntur ad bonitatem Dei, ut communibilem nobis ordine contrario. Vniuersaliter enim hoc pertinet ad amorem concupiscentiae, ut uterque amantium attribuat sibi ex vi amoris, bonum quod inest amato respectu amantis. At ad amorem amicitiae pertinet è conuerso, ut uterque amantium transferat in amatum ex vi amoris bonum, quod sibi conuenit respectu illius. Vnde concupiscentia primo loco amat seipsum, alium verò secundo loco, & tanquam aliquid suum. Hoc modo inter se comparantur Dominus, & seruus temporalis, quatenus talis. Dominus enim fertur in seruum volendo sibi eius obsequium, & vtilitatem ex eius actionibus redundantem. Seruus similiter fertur in Dominum volendo sibi ex eo victum, stipendium, & protectionem, & nequa respicit ad excellentiam alterius, quatenus potentis sibi prodesse. Amici è contra ita inter se comparantur, ut alteruter velit alteri bonum, quod sibi inest respectu alterius; & illud ipsum, quod conuenit alteri respectu sui amplectitur, quatenus perfectiui alterius, estque paratus ex vi sui amoris ad gaudendum de bonis alterius; tamen nihil inde sibi refutaret praeter amorem, & gaudium de eius bonis.

Art. 2. Ex his apparet iam clarius differentia, qua Spes, & Charitas feruntur in bonitatem diuinam non solum quasi in genere, sed etiam in bonitatem illam specialem, quae conuenit ipsi ratione suae omnipotentiae & benignitatis promittentis nobis vitam aeternam. Spes enim fertur in hac Dei praedicata, quatenus ex illis redundat bonum proprium sperantis. Charitas vero quatenus Deus iisdem est bonus, & excellens. Audiatur Diu. Thomas in praesenti quaest. 18. art. 6. corp. *Potest autem aliquis alicui inhere dupliciter. Vno modo propter seipsum. Alio modo in quantum ex eo in aliud deuenit. Charitas ergo facit hominem Deo inhere propter seipsum, mentem hominis uniens Deo per affectum amoris. Spes autem, & Fides faciunt hominem inhere Deo, sicut cuidam principio, ex quo aliqua nobis proueniunt.* Proueniunt verò respectu fidei ratione reuelationis, & respectu spei ratione promissionis; ideoque per istas diuinas terminationes completur vltimo formaliter motiuum earum virtutum. At Charitas easdem terminationes respicit solum identice, cum nullam adiciant respectu Dei, bonitatem, & perfectionem, quam tamen solum respicit formaliter Charitas secundum se.

Art. 3. Itaque motiuum formale spei, non minus quam Charitatis est bonitas diuina, eaque sola; sed respectu spei, quatenus deuincta nobis per promissiones, & quatenus inductiua bonorum promissorum; respectu verò charitatis, quatenus est bona in se, & quatenus amabilis, ac delectabilis ratione sui. Quam in rem est aduertendum ex Philosopho 1. Ethic. c. 8. & ex D. Thoma in hac 2. 2. quaest. 145. art. 3. Omne honestum esse delectabile; quia omne honestum est conueniens secundum rationem respectu eius, respectu cuius tale bonum est honestum. Omne autem conueniens, respectu eius, cui est conueniens, est delectabile eo modo, quo conueniens est. Est igitur omne honestum delectabile secundum rationem, seu intellectualiter, & spiritualiter. Cum ergo amare Deum ratione sui, & quatenus bonus sibi est, sit maxime honestum, non potest idem non esse maxime delectabile secundum rationem. Vnde amor amicitiae non est alienus ab amore delectationis; neque in hoc differt ab aliis affectibus. Differt ergo quia causat delectationem ex bonis amati, quatenus bona eius sunt, fiuntque amantis propria praecise ex vi amoris transformantis amantem in amatum, & facientis quodam modo vnum ex utroque. At motiuum formale spei, non hoc praecise modo delectat; sed quatenus est inductiuum boni desiderati. Licet autem bonitas diuina, per seipsam indiuisibiliter habeat, quod sit bona Deo, & sit inductiua boni à nobis desiderati, differt tamen ratione quatenus refertur ad aliud in genere efficientis, & quatenus sistit in se in genere causae formalis. Dictum est autem saepe, ad distinctionem realem virtutum, sufficere distinctionem rationis, ex parte motiui formalis. Sufficiens igitur inter se distinguuntur, atque in suo esse quidditatiuò constituuntur per ordinem, illa quidem ad Deum, ut determinatum, ac deuinctum promissione sua ad benefaciendum nobis; haec verò ad eundem, ut habentem in se plenitudinem totius bonitatis.

Art. 4. Hinc Charitas definiti potest cum Magistro in 3. dist. 27. aliisque communiter. *Charitas est dilectio, qua Deus propter se diligitur: Proximus autem propter Deum, vel in Deo.* Quae tamen posterior pars ponitur maioris claritatis gratia, nec est omnino necessaria; quia continet solam proprietatem, & conceptum secundarium, qui continetur tanquam in radice in altera parte priori, utpote exprimente totam quidditatem, relatè ad motiuum formale secundum se, quod solum est causa totius perfectionis, & speciei in virtute. Dici etiam potest, *Charitas est amabilis coniunctio cum Deo.* Quae definitio imitatur definitiones fidei, & spei superius expositas, & expressius determinat definitum ad speciem virtutis per se infusa, de qua agitur. Sola enim Charitas supernaturalis, & infusa sufficit ad amicitiam substantiae rationalis simpliciter talem cum Deo, ut patebit quaestione sequenti. Quapropter, dum dicitur motiuum Charitatis esse summum bonum, quatenus est bonum sibi, intelligendum est summum bonum, secundum summum non solum, quae ratione naturali innotescit; sed quae, & quatenus per fidem dignoscitur, iuxta explicata superius non semel, praesertim quaest. 2. Nempe summum, dum consideratur in ratione obiecti virtutis, non usurpatur, quatenus est summum materialiter in se; sed formaliter, ut summum summum apparentiae, quam summum habet Deus, respectu nostri pro statu praesenti, per fidem.

Ad 1. Dum Deus communiter dicitur obiectum Charitatis quatenus est vltimus finis noster, non intelligitur quatenus determinatus per promissionem suam ad beatificandum nos; sed quatenus sufficiens plenitudine suae bonitatis ad beatificandum nos. Vnde nihil

nihil id differt à conceptu motiui superius explicati, nisi quod prius est secundum ordinem rationis, esse summum bonum in se; quam esse satiatium aliorum, & expletium appetitus substantiarum rationalium, in quo consistit ratio ultimi finis, seu sufficientia ad beatificandum.

Ad 2. Deus dum inuitat nos ad incipiendam nostram cum ipso coniunctionem affectiuam proponit ea motiua per quæ ducimur ad initium diligendi Deum, quod initium dictum est duci à spe, quæ fertur in Deum, vt est principium bonorum nostrorum. Caterum sapius in scriptura proponitur, vt bonus in se, & præditus omni perfectionum genere, sub quo conceptu terminare posset potest, ac debet affectum perfectè vnitiuum cum Deo, magis arduum, ac difficile respectu nostræ decliuitatis ad nos ipsos, & nostra bona temporalia; ideoque non primò exigendum in ipso initio conuersionis ad Deum, sed in progressu. Quare Deus diligitur per spem, vt Deus vult diligi à nobis, dum inchoamus eius dilectionem; quod non obstat, quò minus etiam diligatur per Charitatem, vt vult diligi à nobis in progressu; & dum deuenitur ad complementum perfectionis Christianæ.

Ad 3. Bonum proprium, quod est obiectum amoris, vt sic, & in communi non est proprium proprietate dominatiua; sed proprietate potestatis ad delectandum, & proprietate proportionis; in ratione honesti, iucundi, aut vtilis. Summo autem bono conuenit, & quidem in summo gradu honesta diligibilitas ratione sui, & potestas summè delectandi diligentem se, ipsa dilectione sui.

Art. 1. Ad 4. Ea quæ habent rationem puri medij, nec possunt amari ratione sui, quod est proprium finis, Deus mutuo colligat sola indigentia, qua videlicet sublata, nulla posset superesse ratio mutue inclinationis, & quasi fœderis, atque coniunctionis inter illa. Caterum substantias rationales creatas, quæ simul habent rationem finis respectu substantiarum irrationalium, & omnis generis accidentium, necnon medij, tum respectu Dei, tum etiam inter se, colligauit mutuo, & secum duplici vinculo, altero indigentia, altero excellentia. Indigentia quidem, quatenus ex parte conueniunt cum irrationalibus, & accidentibus per plures imperfectiones sibi communes cum illis: Excellentia verò, quatenus specialiter conueniunt cum Deo.

Art. 2. Vnde ligamen affectiuum, quod resultat ex indigentia in substantiis rationalibus, est minus perfectum, & fit principaliter per virtutem spei, quæ est minus perfecta, quàm Charitas: Ligamen verò affectiuum, quod fundatur in excellentia obiecti, prout præscindente à necessitate sui, respectu alterius, fit principaliter per Charitatem, quæ est nobilissima virtus. Deus igitur ita colligat, ac compaginat totum vniuersum ligamine mutue indigentia stringenti inuicem, etiam irrationalia & valenti stringere substantias rationales creatas, etiam degeneres, & malas, & induentes quodammodo naturam irrationalium per peccata; vt simul prouiderit de motiuo alio præstantiori, vi cuius nobilius, ac generosius coalescant in vnitate perfectam inter se, & cum Deo, quatenus rationales sunt, applicantes, ac deuotes animi eidem, non iam, vt bono necessariò præcisè; sed vt excellenti; atque omni bonitatis, & perfectionis genere cum Deo.

Art. 3. Datur igitur ex institutione naturæ, & iuxta intentionem diuinam, motiuum Charitatis, quale eidem superius propositum est; nec sola indigentia ligat vniuersum; sed etiam, & multò magis pulchritudo, & excellentia, Dei quidem principaliter, secundariò verò creaturarum etiam quodammodo diuinarum; id est, participantium specialiter vniuersalitem,

& amplitudinem diuini esse, per vim intellectiuam, quæ, vt dicit Philosophus, quodam modo est omnia esse, ac fieri, & vi cuius iisdem conuenit, vt possint esse fines, & adherere sibi inuicem, & fini omnium vltimo, ratione excellentia, quod est optimorum vltimum, & minimè degenerantium à peculiari sua Diuinitatis participatione.



QVÆSTIO XXXIX.

*Vtrum Charitas constituat veram
inter Deum, & Hominem
Amicitiam?*

VIDETUR non constituere. 1. Quia Charitas quoad omnes suos actus dependet ex natura rei, ex actibus spei, vt dictum est quæst. 37. Nequit autem constituere veram amicitiam cum Deo, actus amoris erga ipsum præsupponens actum spei circa eundem; quia actus spei, est actus amoris concupiscentia, qui amor contradicit veræ amicitia, vt habetur ex Philo. 8. Ethic. 4. Et ex hac ratione, quod concupiscens præfert se bono concupito. Dominatur nimirum in eo affectu ipse concupiscens, & vult bonum concupitum, tanquam aliquod additamentum sui, nec in eo, sed in se tanquam digniore quiescit. Amor amicitia est contra præfert amatum amanti, cumque constituit amantis finem, in quo ipse conuiescit vltimò. Impossibile autem est, idem eidem simul præferre, & postponere. Ergo dilectio Charitatis erga Deum nequit esse amor amicitia.

2. Vt essent inuicem compossibiles amor concupiscentia, & amor amicitia erga Deum, amicitia tamen perfecta subsistere nequaquam posset, stante vtriusque coexistentia. Quia de ratione perfectæ amicitia non solum est, velle amicum propter ipsum; sed etiam velle propter ipsum solum. Quantum namque detrahitur amori amici propter ipsum, tantum necessariò detrahitur perfectioni amicitia, non querentis propriam vtilitatem, sed solam propriam honestatem in vtilitate alterius; quod docetur clarè à Philosopho loc. cit. & liquet ex communi huius virtutis estimatione. Ergo societas spei tollit Charitati si non totaliter, saltem quoad perfectionem suam, rationem amicitia cum Deo.

3. Deus non solum omnia alia diligit propter seipsum, iuxta illud Prouerb. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus*; sed etiam cetera omnia diligit propter seipsum solum: ita vt nihil creatum sit motiuum, vel etiam partiale vilius amoris diuini, quod pluribus ostensum est in quæst. de Deo, cum Mag. D. Thoma, & aliis communiter, contra Valent. de Herice, & Puente Hurtado. Cum ergo amor amicitia sit amor amati propter seipsum, repugnat omninò Deo amor amicitia erga hominem; ergo, & homini erga Deum; quandoquidem amicitia dari nequit nisi mutua.

4. Domini ad seruum, qua seruus est, nulla est amicitia, nec esse potest, ex Philo. ibid. c. 11. Omni autem substantia rationali creatæ est essentialis seruitus respectu Dei, quoad omnia sua prædicata; atque habitus Charitatis, tam non aufert seruitutem, vt potius eam perficiat atque intèdat. Magis enim est seruus Dei homo iustus, quam peccator. Repugnat igitur essentialiter omni substantia rationali creatæ vera amicitia cum Deo, atque habitus, & actus Charitatis superaddit peculiarem rationem eiusdem repugnatia.